



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt Primvm. Variæ Romæ de habit Seßione sententiæ; & quæ Tridenti  
agitata ad disciplinæ Decretum continuandum & promulgandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11665**

stunt, atque ab Oratore Toletano iubentur ibi permanere. Pontificis Auleque Romanæ sensa de his euentis. Querela Cæsaris cum Pontifice, ac postulationes, vti Synodus Tridentum reduceretur. Repulsa per grauem indignationem ab eo accepta. Francisci Primi Gallie Regis obitus. Legati ad ambos Principes missi. Sessio nona Bononia habita, vbi Decretorum promulgatio ad alteram Sessionem prorogata, certo die indictam.

## CAPVT PRIMVM.

Varia Romæ de habita Sessione sententiæ; & quæ Tridenti agitata ad disciplinæ Decretum continuandum & promulgandum.

1547.



LEGATIS non minus erat Romæ quàm Tridenti certaminis. Eorum constantia in proposito promulgandi Decreti de Iustificatione, Romæ pluribus haud probata, seu ex benevolentia, adeoque sollicitis; seu ex æmulatione, adeoque censoribus; seu ex incerta humanorum consiliorum conditione, quæ dissidium opinionum permittit vel inter sapientes ac probos. Maffeius præsertim à Verrallo Nuntio admonitus<sup>a</sup> per eos dies, Ceruinum dehortatus fuerat ab eo consilio, tamquam ab importuno, aptoque abalienandæ à Concilio ac Pontifice Cæsaris voluntatis, tunc & recente armorum prosperitate potentioris, adeoque & sensu acrioris, & magis verendi, corruptâ per illum modicæ gratificationis neglectum gratiâ, copiosis in fœdus sumptibus coemptâ.

<sup>a</sup> Ex litteris  
7. Ianuar.  
1547.

<sup>b</sup> Litteræ secretiores  
Romæ ad  
Cerinum  
missæ 7. Ian.  
1547.  
<sup>c</sup> Colligitur  
ex plurimis  
eiusmodi  
litteris.  
<sup>d</sup> Litteræ  
Maffei ad  
Cerinum  
23. Ianuar.  
1547. &  
duæ litteræ  
secretiores  
19. & 24.

Alij in Romano Conuentu operam mentemque Ceruini commendabant, sed<sup>b</sup> modum duritiemque agendi reprehendebant. Erat inter hos Franciscus Cardinalis Sfondratus, Ceruino vel ingenio vel animo aduersus: Legatum tamen acriter tuebatur Moronus<sup>c</sup>, quicum is coniunctissimæ necessitudinis vinculo adstrictus erat iam tum, cum in Belgio alter apud Cæsarem ac Ferdinandum Regem Nuntius aderat, alter iam Purpuratus Farnesij Cardinalis comes aduenerat, cui postmodum in legatione successus. Nec seignius eidem Polus patrocinabatur, qui Patavio Romam regressus, sui olim collegæ virtutem & sapientiam per omnem opportunitatem extollebat. Ac Pontifex quidem factum comprobauit; <sup>d</sup> tum quòd prius illud mandato comprobauerat; tum quòd comprobatum tunc cernebat ab ipso euentu, qui oppugnationum contentio-  
numque

numque loco, quas dogmatum Decreto minabantur Patres, eorum admirabilem consensionem obtinuerat. 1547.

3 Quod autem ad disciplinæ formam spectabat, cum animaduertetur Paulus, et expeti à Synodo, ut de Purpuratis Patribus decerneretur dilucidè, ac citra omnem verborum ambiguitatem disputationi obnoxiam, æquum duxit, illi gratificari; ita tamen, ut & lex ipsum ceu Legislatorem, eosdemque Purpuratos ceu Consiliarios agnosceret; adeoque in ipsis honor tum prompti ad nouum subeundum vinculum animi, tum exercitiæ declarationis, molestiam noui oneris leuaret. Quapropter communi illorum consensu ac plausu promulgauit <sup>f</sup> in Senatu Diploma, quo ipsi quoque Cardinales obstringebantur, ut in suis Sedibus residerent: iis vero, qui pluribus Ecclesiis, seu commendatis seu aliâ ratione præessent, iniungebatur ut vnicam retinerent, quam infra sex menses ipsi elegerant, si Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem liberè pertinebant; & intra annum, si Episcopi essent ab alio nominandi. Quòd si electionem omisissent, à reliquis omnibus Ecclesiis excidisse censentur, præter illam quam postremam acceperant. e In prædictis Maffei litteris.

4 Dum ea Romæ agitantur, Legati dedere operam Tridenti concinnando emendationis Decreto. At Suavis nihil planè gnarus rerum publicè gestarum, cuiusmodi fuere, Patrum dissensiones ex memorato Decreto in Sessione subortæ, plurimique cœtus generales, habiti postea illius perficiendi gratiâ, ad omnia alia refert id, quod in hisce congressibus pertractatum est, erroresque exorditur à tempore, affirmans, primum cœtum proximo Sessioni die coactum; ibi narrat, longius disputatum, an prosequendæ sanctiones de Ecclesiæ auctoritate, an verò de Sacramentorum articulis, venditans in iis arcana quædam politicæ calliditatis; cum tamen ne dubitatio quidem inciderit, quippe de re multò antè confirmata; atque in reliquis omnibus tantum peccat, tantumque comminiscitur, ut quamquam legitima Concilij acta mihi præstò sint, verear, ne in opinionem calumniantis incurram, dum cogor sæpius affirmare de tanto calumniatore, ipsum mentiri.

5 Itaque Montanus in primo confesso generali, biduo post Sessionem, et conquestus est, plerosque tam obstinatè suis sententiis inhaerere; octo supra viginti Decretum absolute comprobasse; quatuor quæsiisse titulum, *representantis vniuersalem Ecclesiam*; totidem censuisse, emendationem non nisi integram simul perficiendam esse; sex expetiisse, ut mentio de Cardinalibus nominatim haberetur; placuisse duodecim, ne Episcopis non residentibus maior irrogaretur.

1547. retur pœna, quàm quæ in iure communi erat statuta: quânam fieri posse, vt in tanta varietate quidquam firmaretur? De titulo, præter rationes suprâ allatas, recitauit ibi & quæ scripserant duo sapientissimi Purpurati, Turrecremata & Caietanus, qui ob eam rem Constantiense ac Basileense Concilia reprehendunt. De mansione Cardinalium apud suas Sedes satis esse debere, quòd prætermisso ob reuerentiam nomine, ipse gradus per formas æquè pollentes obligaretur: eos, ne vellent cuncta vnâ horâ vnâque operâ reformare, & scriptorum documentis, & exemplorum auctoritate commoneri. Quod spectabat ad pœnas, pœnarumque executores, nihil amplius præter ea, de quibus aliàs disertum erat, sibi suppetere. Pròinde rogari à se Patres, vt de rebus præteritis illas excogitarent rationes, quæ forent communiter acceptæ. Deinde proposuit, vt in proxima Sessione Sacramentorum dogmata stabilirentur, & de tollendis mansionis obstaculis adhuc consultaretur.

Paceus dixit, Decretum sibi absolutè comprobatum, & quorundam repugnantiam displicuisse. Tunc verò in rem sibi videri, vt peculiare cœtus haberentur, quibus Iurisperiti interessent, ac postea in generali confessu de communi sententia Decretum reconcinnaretur; quòd pluribus placuit. Sed Bernardus Dias Episcopus Calaguritanus, & Didacus Alaba Asturiensis arbitrabantur, commendandum illud esse seruatâ eius formâ, solumque adiectis iis, quæ à nonnullis optabantur, atque ad id postremi Lateranensis Concilij adduxerunt exempla. Respondit primus Legatus, Quæ in Decreto varianda essent, non ab vno alterove, sed à tot Patribus postulari, eademque tot esse, vt ab ipsis in Decreto & Concilio existimatio adimeretur; præterquam quòd in Lateranensi Romanus Pontifex aderat, qui poterat quibuscumque oblectantibus Decretum comprobare, quòd Tridentino, à quo Pontifex aberat, minime contingebat.

Pacensis oblatam à se schedulam defensus significauit, non alia de causa expectatam à se ampliorem inscriptionis dignitatem, nisi vt hæreticis opponeretur, qui pernegabant, à Concilio legitime congregato vniuersalem Ecclesiam representari. Ad quæ Legatus ait, Possè his obuiam iri per huiusmodi articuli declarationem: atque id iam cœtui probabatur, cum Philippus Archintus Salutiarum Episcopus, vir commendati alioqui nominis, cœpit inconsideranter contendere, huiusmodi representationem haud inesse Concilio; propterea, quòd cum Ecclesia confiteretur ex capite simul ac membris, ex viuis & defunctis, atque ex cunctis fidelibus, ibi ne-  
que

que Caput adesse, neque queniquam ex defunctis, nec plerisque  
 fidelium, perinde quasi ipsa representationis vox hoc ipsum non  
 sonet, ibi per Delegatos & per imaginem praesens reddi, id quod in  
 se ipso reuera non adest. Sed Archinti sermo interruptus collega-  
 rum conuictis, vociferantibus, eam dissertationem haeresim sapere.  
 Eandem Legati pariter improbarunt, adiucentes, illi titulo se ad-  
 uersari non praesentis Concilij respectu, sed futurorum, quae for-  
 tassit usum huiusmodi appellationis ad emulationem Sedis Aposto-  
 licae detorquerent. Archintus communi obiurgatione percussus,  
 excusationemque emendicatus, nullam tamen commodam nactus,  
 declarauit, suae mentis non esse, Oecumenicarum Synodorum au-  
 thoritati quidquam detraxere, sed in eos suam disputationem col-  
 limare, qui Pontificem aliquo modo subiecere Concilio moliebantur,  
 quod de quibusdam vulpeculis quiescerat. Verba haec indigna-  
 tionem plurimum inflammauerunt, & Hispanorum imprimis, inter quos  
 Calaguritanus professus est, neminem ibi non paratum adesse ad  
 defendendam vel profusione sanguinis Pontificiam auctoritatem:  
 quod si quis consuetudinem aliquam vituperabat, non idcirco po-  
 testatem operantis, sed operationis honestatem inspicere. Tum his  
 concrepuit obstrepentium rumor, vt oportuerit silentium a Lega-  
 tis indici.

- 8 Biduo post conuenere rursus Patres. Hic Montanus significauit, h 17. Ianuar.  
 peculiarem ecclesiae habitum iri, de Fidei dogmatibus coram se ille-  
 ga, de morum restitutione coram se. Tum ab altero Praxide erro-  
 rum syllabus recitatus, qui de Sacramentis apud recentiores haere-  
 ticos deprehensi fuerant, ab altero catalogus obstaculorum, quae  
 adhuc amouenda supererant, vt Episcopi suis in Ecclesiis residerent,  
 e peculiaribus libellis excerpta, traditis ab Episcopis. Vnde Patres  
 mirifice recreati, cum intelligerent, Decretum praeteritum tam-  
 quam futurorum pignus ipsis afferri, non tamquam suscepti laboris  
 metam. Duas hebdomadas expendere, iterum eorundem Patres, eiusque  
 9 proposita emendationis Decreta, adiectis aliis, aliisque mutatis, i Vltima  
 tum euncti admoniti, vt eorum exemplar sibi caperent, suam de il-  
 lis sententiam in proximo coetu dicerent. Saepius inde conuentus ha-  
 biti, ac multam sententiae variarunt, multumque proinde certat-  
 um: nec desuerunt, qui in disputationem incompertite deuenerunt  
 rint de iis quae essent vel non essent in potestate Synodi, vt ostenderent,  
 leges aliquot fuisse propositas illius conuentus auctoritate  
 maiores: quod animos exulcerauerat, quasi eadem opera intendere-  
 tur, & illius Concilij auctoritatem deprimi, & hoc pacto integram

1547. ac necessariam disciplinæ correctionem declinari. Quapropter cum denuò super his in quodam conuentu septimâ Februarij agendum esset, Ceruinus incredibili sollicitudine afficiebatur, veritus, ne in illius diei cœtu vulnus immedicabile infligeretur à commotis vtrimque partibus, inuicemque suspectis: idcirco per breuem epistolam Legatum alterum præuenit, cui tamquam Legatorum Principi iuserat dicendi, obtentâ specie, ne per præsentiam exhiberet molestiam, (an quò res accuratius ille perpenderet?) neque per subitariam contradictionem alteratio inter eos excitaretur, quod accidere solet in disceptantium congressibus, quodque de præferuendo hominis ingenio timendum erat. Exponebat ibi Ceruinus quem ipse conceperat metum, susedebatque collegæ, vt animis leniendis intentus, suspiciones abstergeret, adhiberetque generales dicendi formulas de Concilij potestate, eam Synodo inesse amplissimam in rebus à Romano Pontifice illi commissis, non item in relictis: Pontificem verò paratum fore ad suam quoque omnem potestatem exerendam in eos, quod è Christiana Republica futurum esset; ipsos pariter Legatos suam amplè operam studiumque polliceri, vt id ipsum à Pontifice consequerentur.

k 7. Februa-  
rij.

In cœtu postea diei septimæ ita Montanus disseruit; Multo- 10  
rum audiri querelas de corruptis hominum, adeoque Ecclesiastico-  
rum moribus (id præcipuè querebantur Hispanienses, alique ipsis  
addicti, & Aquis Archiepiscopus) sed inter homines, & inter  
Ecclesiasticos, inquit, nos pariter connumeramus, nobisque no-  
stræ labes insunt. Demus igitur operam idoneis remediis potius  
quàm ineptis expostulationibus. Disputatum (subiecit) ab aliis de  
Synodi auctoritate fuisse, & an ipsi liceret morum emendationem  
præscribere, an ea esset in Pontificem reiicienda (posteriorem sen-  
tentiam dixerant Campeggius Episcopus Feltrientis, Nobilius  
Acientis, & Zannettinus Chronientis) sed quid commodi per eam  
disceptationem obtineri, dum reipsa leges statuebantur quæcum-  
que Patribus probarentur? Haud posse quidem ab ipsis leges sanciri,  
quibus manus Pontificiæ ligarentur, quod quidam ex Episcopis  
(erat hic Ioannes Fonseca Stabientis Antistes) proposuerat; huic  
enim satis responsum à Patricio Pontifice, in Canone *Incepisti, tit. de  
electione*, vbi ad Archiepiscopum Panormitanum, ad quem Pallium  
miserat, sub conditione, vt iureiurando sponderet, sese in fide at-  
que obedientia perstiturum, hæc scribit: *Dicunt hæc non inueniri sta-  
tutum in Conciliis; quasi Romana Ecclesie legem Concilia vlla præfixe-  
rint; cum omnia Concilia per Romana Ecclesie auctoritatem & facta sint. &*  
rabur

robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis pariter excipiantur auctoritas. Fuisse quoque quosdam ex Patribus auctores (id maxime Hispani contenderant) ut cuncti Sacerdotiis præditi ad examen reuocarentur, quo expungerentur omnes inepti, ut cuncta iam indulta laxamenta pariter abrogarentur; cunctæ plurium Sacerdotiorum coniunctiones. At tam acria consilia tempori nequaquam congruere: legislatorem quandoque ob nimium disciplinæ studium non infructuosum modò, sed ridiculum euadere. Considerarent utique non profutura tantum, sed possibilia; & ubi duas hæc conditiones nacti essent, omnem in ea curam impenderent. Hæc Montani verba quietis gratiæque auribus accepta. Tum Ceruius Nouatorum errores proposuit, de Sacramentis generatim, ac de duobus prioribus speciatim, iam expensos ferè quotidie in congressibus peculiaribus Theologorum, ubi plurimi aderant Patres; & pro iis, quæ ibi agitata fuerant, in quatuor classes distributi. Multi ex his erroribus sine controuersia erant hæretici, alij cum aliqua declaratione damnandi, alij omittendi; postremi in primam classem, tamen non ita perspicuè, redigendi. Enimuerò si tantum curæ à publicis Magistratibus impendi posset in comprobando bono, quantum in condemnando malo, multò præstantius floureret virtus: sed labor ille quia necessarius, utique toleratur; hic planè intolerabilis videtur, vel quia tantum in melius tendit, vel propter alias penitiores difficultates.

## C A P V T I I.

*Episcoporum dissensio, an quibusdam in causis agendum ab ipsis esset tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Decretum emendationis pro comprobato concorditer habitum. Pontificis diploma, quo iubentur Cardinales in suis Diocesibus residere, & pluribus Ecclesiis haud præesse.*

I Diebus singulis præter Dominicos continuati de moribus reparandis congressus, donec in generali cœtu vigesimaquarta Februarij Decreta, quæ selecti Patres conflauerant, sunt proposita. Verùm Giennensis, antequam suam mentem patefaceret, Montanum est percontatus, quæ relata fuerant in superiori Sessione, confirmata necne fuissent; aliter quippe si pars altera poneretur, aliter si altera se locuturum. Videbatur ad id usque temporis Montano, haud posse pro confirmatis haberi ea Decreta, ob contradicentium numerum. Collega oppositum arbitrabatur; quare ad